



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio II. De variis acceptionibus Quantitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

dici perfectio naturæ rationalis, quia per modum actus in illa recipitur, quod est absurdum.

34 Secundo potest argui, quia omnis entitas est bona, cum bonitas sit attributum entis; at qui habitus vitiosus est ens: ergo bonus; ergo perficit hominem.

35 Respondeo frivolum esse argumentum, quia aliud est esse bonum transcendente, aliud esse absolute perfectionem, & aliter nominari, peccatum enim, seu odium Dei secundum materiale dicit bonum transcendente, non tamen potest absolute dici perficere hominem, & similiter error, hæresis, licet secundum quod sunt entia, dicant bonitatem transcendentem, nihilominus cum afferant naturæ rationali tale damnum, errandi scilicet, destruuntque in illo veritatem, inde est, quod ponderata ex una parte illa bonitate, ex alia imperfectio propria illarum, damnoque illato homini, minime possit absolute dici perficere talia accidentia subiectum.



QVÆSTIO II.

De varijs Quantitatis acceptionibus.

1 **N**TE QUAM definitionem Aristotelicam explicemus, operæ pretium duxi aliquas nominis quantitatis acceptiones in lucem edere, publicumque proferre, ut hac initiali face præeunte, ut cum olympodoro loquar, quantitatis essentia lucem offundentes, ipsius quasi magnifici cuiusdam edificij secreta penetremus.

2 Primo significat quantitatem perfectionem essentialem, unde talis perfectio ratione huius acceptionis, solet dici quantitas virtutis; unde illud quod est perfectius altero, essentialiter dicitur maius seu habere maiorem quantitatem virtutis, sive huiusmodi quantitas referatur ad ipsius substantiæ excellentiam, sive ad eminentiam virtutis operative, quod his verbis asseruit Divus Augustinus lib. 6. de Trinitate, cap. 3. in his quæ non mole, sed virtute magna sunt idem est maius esse, quod est melius esse, & hoc modo Deus licet nullam quantitatem molis habeat, dicitur habere infinitam quantitatem virtutis, tum ob infinitam perfectionem essentialem, tum ob perfectionem infinitam omnipotentæ, ratione quarum perfectionum magnus ab Hebræa Sireni, Psalmographo nimirum Rege nuncupatur, Psal. 47. cuius exordium dulciter incipit magnus Dominus, & laudabilis nimis, in civitate Dei nostri in monte (ante eius) egregium vero laudandi principium ait Eutichius, laudabilem nimis proferri, quæ laudare suscepit, suæque magnitudine superiorem omni laude exegerat hoc verbis multis author Ecclesiastici, & Augustinus confessiones suas hinc orditur, consonat his verbis Plaf. 95. 1. 5. ubi eadem pene verba repetit, quoniam magnus, inquit, Dominus, & laudabilis nimis, terribilis est super omnes Deos, gloriam Dei, & mirabilia (ait Guanicus Abbas omni scientiarum genere, non leviter intinctus), etiam opera laudum præconijs prædicatione digna confirmat, quia magnus est in potentia, sapientia, iustitia, bonitate, & omnibus attributorum perfectionibus, quam quis vilo modo queat apprehendere; atque infinito intervallo superat, quantalibet cuiuscunque laudationem: sed & talis est, inquit Chrysostomus, quem supra cunctos, qui dicuntur Dij, & à suis timentur cultoribus in summa omnes habeant veneratione, ac timore; denique infra dignitatem, & meritum huius Dei optimi maximi asserit linguas esse laudantium, nec illi quemquam (sive qui vere, sed per participationem, seu qui falso, & superstitiose dicatur) Deum comparandum esse: sed omnibus formidandum, & venerandum; nolite contemnere parvum, ait Augustinus, tam multa passum: parvus factus est, quia parvi eratis, intelligatur magnus, & in illo magni eritis, quid dicta est lingua parva ad laudandum magnum dicendo, nimis, valde significat *ἄλλο, μέγα, ὅσον* emit vocem, & dedit cogitationi, quod sapiat tamquam dicens quod sonare non possum, tu cogita, & cum cogitaveris parvum erit tale illud Anselmi prolog. cap. 15. Domine non solum es quo maior cogitari nequit: sed est quiddam maius, quam cogitari possit, quoniam namque valet cogitari esse aliquid huiusmodi, si tu non es, hoc ipsum potest cogitari aliquid maius te, quod fieri nequit, magnus enim est, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis, ait David Psal. 144. non modo secundum perfectionem: sed præterea secundum perfectionem, cum qua cuiusvis creaturæ comparata perfectio instat puncti reputatur ad quantitatem infinitam, imo cum exacta proportio esse possit minus, quodammodo quam nihil, ita ut à creatura nullam proprie facere acceptionem ad creatorem.

Secundo significat apud Iurisperitos, quantitas etiam modum l. 97. ff. de verb. oblig. in qua quod initio Marcel. quantitatem dixerat postea modum vocat, sic quantitatem patrimonij, operis, transactionis, legatorum, aquæ, dotis, momentum hæreditatis, operis pretij, vurarum, &c. dicuntur l. 21. in fin. ff. de novi. oper. num. leg. 15. ff. de nul. test. l. 72. l. 73. ff. ad leg. falsi. l. 45. ff. de sol. l. 20. ff. de manu vind. l. 4. co. de hæc. vel. ar. l. 9. C. de dona. inter vir. & vxor. l. 24. ff. de præf. vel. etiam quantitas nūmi proprie, & recte dicitur æstimatione illa publice constituta, qua quanti loco bis sit intelligitur, tradit Duar. lib. 1. disp. ann. cap. 6. cuius quantitatis nota, & signum est character, qui nūmo imprimitur, ut Aristoteles lib. 1. Polit. ostendit, & sic accipienda sunt Vlpiani verba in leg. à divo Pio addicantur ea quantitate, id est valore, ut vulgo loquimur, & æstimatione, quanta est summa, quæ debetur: nisi forte pluri, aut minoris valeant alteruter, id est debitor, aut creditor nec parum ea verba negotij exhibere Alciato parod. lib. 6. cap. 3. & in leg. creditor, ff. de reb. creditis; unde etiam pro pretio, & valore apud Paulum, lib. sent. 2. cap. 32. servus, qui furtum fecerit. Damnum quod dederit nisi id pro sui quantitate Dominus res arcire paratus sit, voxæ deli potest, præterea quantitas in iure civili opponitur corpori leg. 34. §. 2. ff. de leg. 2. quomodo autem differat vide Cuiacium 14. observ. 9. Huom. 15. in hac autem acceptione sic definienda videtur res cuius visque ac momentum vel solum, vel præcipue spectatur Vlp. l. 34. ff. de leg. 1. Paul. leg. 87. ff. de leg. 2.

Terrio, & propriissime significat molem corpoream secundum quam aliquid dicitur extensum, & in illa possumus assignare multas partes impenetrabiles

Quæst. III. Quæ sit definitio quantitatis. 577

impenetrabiles, quarum una sit extra aliam, in hac ergo acceptione definit Aristoteles quantitatem, cuius definitionem, *quæ sequenti videbimus.*



QVÆSTIO III.

Quæ sit definitio quantitatis.

ARISTOTELES 5. *metaph. cap. 3.* hoc modo definit quantitatem, quantum est divisibile in ea, quæ insunt, quantum utrumque vel unumquodque unum quid, & hoc aliquid aptum est esse, hoc est quod habet talem entitatem, ut illa partiri, & secari possit in plures partes, quæ in eo sunt non virtute nec potestative solum: sed formaliter, & actu à parte rei, quæ partes sunt talis naturæ, ut quælibet illarum separata totum sit, & possit existere sine dependentia, & consortio alterius.

² Ponitur illa particula *divisibile*, ut excludantur Angeli, Deus, anima rationalis, & punctum quæ sunt entia indivisibilia; quantitas enim ex ea, quod ex natura sua petat partes extra partes impenetrabiles, potest dividi; imo naturaliter, nec substantia, nec aliquid aliud ens potest dividi physice sine quantitate, quia sine illa esset penetrabile; unde non possent in partes ab agente physico secari; ubi adverte cū Cerna, quod sicut divisio potest dupliciter intelligi, vel active quatenus actio est, vel sissio alicuius dividendi extrinsece vel passive pro negatione unionis inter aliquas partes, vel separationem, & distantiam, quam inter se habent transacta actione qua illas dividit, vel divisas produxit, sic proportionabiliter duplex divisibilitas consideranda est, una activa, quæ est denominatio extrinseca proveniens quantitati ab agente à quo eius partes dividi, aut separari possunt, quemadmodum res dicitur extrinsece creabilis, aut intelligibilis, à potentia extrinseca quæ illam creare potest, aut intelligere alia est divisibilitas passiva, & intrinseca rei quantæ, & hæc non est aliud, quam habere partes distinctas, & impenetrabiles ideoque extensas in quas dividi aut secari possit ab aliquo agente, & denominat intrinsece, & absolute divisibilem; abstrahendo ab hoc quod ab isto, vel illo agente scindi possit; nam sicut Angelus dicitur absolute creabilis, & ex eo quod, quantum est ex se, & ex parte sua non repugnat illi esse, ac produci in rerum natura: licet non à quovis agente ex nihilo possit fieri, sed à solo Deo possit creari, & sicut Deus dicitur naturaliter, & absolute intelligibilis intuitive, licet tantum à se ipso vel ab intellectu creato supernaturaliter adiecto, vel elevato valeat intelligi, &c. quia quantum est ex se habet entitatem representabilem potentia cognoscitiva, sic corpus habens partes extra partes quantum est ex parte sua scindibile est absolute, & divisibile non tantum remote, ac radicaliter, vel est substantia, sed etiam proxime quantum ex parte sua est, quidquid sit de hoc, an à solo Deo vel Angelis, vel alijs corporibus quantis scindi possit, in hoc enim potest esse magna varietas iuxta activitatem extrinsecam agentium, & dispositionem rei quantæ, quæ omnia per accedens sunt

R. P. Aldeph. de Penafiel. Theol. Schol. Tom. I.

respectu quantitatis,

Dixit Aristoteles divisibile in concreto, ut indicet (ut optime advertit Suarez) peculiarem conditionem quantitatis quæ non solum est forma, quæ aliud est quantum, sed etiam ipsa quanta denominatur, quia non solum ipsa est ratio ob quam alia sunt extensa, & divisibilia, sed etiam ipsa in se extensa est, & divisibilis: neque enim potest ipsa extendere rem aliam, nisi simul coextendatur illi, & suas proprias partes habeat correspondentes partibus sui subiecti eadem: ergo forma quatenus partes substantiæ extendit quantitas dicitur, quatenus vero ipsamet habet partes se se natura sua extendentes, vel ut sic dicam loco excludentes, sic etiam ipsa quanta denominatur, & ut sic etiam divisibilis est, ob hanc ergo causam non solum per modum abstracti, sed etiam per modum concreti describi potuit.

Per illam particulam *in ea, quæ insunt*, excluduntur ea quæ solum vel in aliquo potestativi, aut in potentia continentur, illique insunt, ut inferiora individua speciei specificæ generi, vel virtute manent ut elementa in mixto, quamvis enim mixtum in elementa resolvi possit, tamen illares non ex eo nec formaliter est quanta, quia elementa insunt virtute solum, & non formaliter in illo, vel denique ut excludantur, quæ continentur eminenter in aliquo, ut creatura in Deo, metalla in sole, &c.

Additur illa particula *unum quid, & hoc aliquid*, ut intelligatur tales debere esse partes quantitatis, ut etiam post divisionem possit utraque, tamquam unum quoddam totum ab alijs separatim manere, per istam particulam excluduntur partes substantiales, ut materia, & forma, & resolutio totius substantialis in tales partes, quia licet hæc vere contineantur actu, & formaliter in toto, nihilominus non sunt aptæ, ut post separationem unaquæque earum sit unum quid, tum quia non existunt, ut totum post dissolutionem totius, tum quia destruantur saltem formæ substantiales materiales, & licet verum sit, quod Deus possit conservare illam formam; hoc tamen non est ex natura rei, sed supernaturaliter, insinuat etiam tacite in illa particula unum quid, omne quantum etiam si minimum sit, dum tamen non sit punctum, esse divisibile in ea, quæ insunt, id est in partes, quæ in illo toto sunt, ita ut post divisionem, quælibet illarum in quas dividitur sit unum quid, & per consequens amplius divisibilis. Unde illa divisibilitas quantum est ex vi quantitatis, non potest terminari nisi divisio perveniat ad non quanta, sic explicata definitio, dubitatur utrum sit essentialis an descriptiva in qua dubitatione.

⁶ Dico cum communi Doctorum hanc definitionem non esse essentialem, sed descriptivam, & accidentalem, nam ut ait Pater Suarez in *oto illo lib. 5. metaph. ex quo desumpta est*, non tam rerum essentialitas, quam plurium vocum varias significaciones declarat, atque ita per illam descriptionem magis explicat quid hoc nomen *quantum* significet, quam quid proprie, & secundum suam essentialitatem quantitas sit, quanquam dum hoc manifestat per quendam effectum, aut signum nobis notius simul innuit, quid ipsa quantitas sit.

⁷ Probatur primo nostra conclusio, quia nihil aliud est divisibilitas, nisi potentia, ut quantitas dividatur, & dissolvatur illud totum quod

D d d d in